



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 3. Utrùm re ipsa demonstretur Deum existere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

positionis per se notæ; sed etiam quia, subiecti realitate per discursum aliquem præcognita, intellectus facile & promptè ei assentitur.

ARTICULUS II.

Utrum & quomodo constare possit Deum existere.

RESPONSIO I.

Fide divina credi potest Deum existere.

Prob. Illud fide divina credi potest, quod Deus revelavit credibiliter. Autoritas enim Dei revelantis credibiliter, est motivum sufficiens fidei divinæ. Atqui Deus revelavit credibiliter suam existentiam. Ergo, &c. *Prob. min.* 1. Deus revelavit suam existentiam: ut patet ex c. 3. Exodi, ubi Deus sic loquitur Moyse: *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham..... Ego sum, qui sum.* 2. Revelavit credibiliter, ut patet ex motivis credibilitatis, quæ suo loco exponuntur, & ex quibus evidens est, Scripturam esse verbum Dei. Jam ergo habemus, quod fide divina constet, Deum existere.

RESPONSIO II.

Deum existere, probari etiam potest certò & effecaciter, argumentis citra divinam revelationem evidentibus notis.

Prob. 1. ex Scriptura. Nam Sap. c. 13. dicitur: *A magnitudine speciei & creatura cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* c. 1. Rom. *Quod notum est Dei, manifestum est in illis* (sapientibus ethnicis;) *Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & divinitas.* Certè verba videndi, manifestandi, conspiciendi, quibus utuntur Sapiens & Apostolus, & quæ sumi debent in sensu proprio, cum ea sic sumi nihil veter; probant evidentem existentiam divinæ notitiam haberi posse ex creaturis. Ergo, &c.

Prob. 2. ex S. Augustino, qui tract. 2. in Evang. Joannis, de Deo dicit: *Potest inveniri per creaturas evidenter, dicente Apostolo: Invisibilia enim Dei, &c.* Accedit experientia eorum omnium, qui ad demonstrationes, quæ fieri solent de existentia Dei, debitè attendunt, nec prava aliqua passione excæcantur.

RESPONSIO III.

Non potest tamen existentia Dei demonstrari à priori. Ita S. Thomas hic, q. 2. ar. 2. in O.

Prob. Demonstratio à priori est ea, quæ fit per causam. Sed existentia Dei non potest demonstrari per causam. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam 1. Deus non habet causam efficientem; cum sit ens à se. 2. Non habet causam finalem. Nam cum sit ens supremum, necesse est omnia in ipsum ultimè referri. Præterea, sicut est essentialiter primum principium rerum omnium, ita & est essentialiter rerum omnium finis ultimus. 3. Non habet causam materiale neque formalem, quia est ens simplicissimum & incorporeum. Denique nihil habet in se, unde ejus existentia fluat secundum nostrum concipiendi modum, & ex quo velut notiori demonstrari possit. Ergo, &c.

Nec dic, secundum nostrum concipiendi modum, aſcitatem in Deo esse priorem ejus existentia, velut radicem ipsius secundum nostrum concipiendi modum. Nam aſcitas, etiam formalissimè sumpta, non est aliud, quam existentia independens à causa producente & conservante. Unde aſcitas in Deo se habet ad existentiam, sicut in homine humanitas ad animalitatem; hoc est, tanquam includens ad inclusum: nec magis etiam secundum nostrum concipiendi modum existentia in Deo fluat ab aſcitate, quam in homine animalitas ab humanitate.

Simonnet Theol. Tom. I.

RESPONSIO IV.

Existentia Dei potest demonstrari à posteriori. Ita S. Thomas.

Prob. Demonstratio à posteriori est ea, quæ fit per effectus. Atqui existentia Dei potest demonstrari per effectus. Ergo, &c. *Prob. min.* Ut per effectus aliquos demonstrari possit Deum existere, tria requiruntur, & sufficiunt. 1. Ut evidens sit effectus illos existere. 2. Ut effectus illi necessariam habeant connexionem cum causa prima & improducta. 3. Ut hæc connexio sit evidenter cognoscibilis. His enim positis, potest ex duabus præmissis evidentibus concludi evidenter existentia causæ primæ & improductæ, quam nomine Dei intelligimus. Atqui hæc tria adiunt. Nam 1. evidens est creaturas existere. 2. Creaturæ existentes necessariam & essentialem connexionem habent cum causa prima & improducta. 3. Hæc connexio est evidenter cognoscibilis in creaturis existentibus, saltem collectivè sumptis. Ergo, &c.

Obj. 1. Causa non potest demonstrari, nisi per effectum proportionatum. Sed creaturæ etiam collectivè sumptæ, non sunt proportionatæ Deo. Ergo, &c. R. Causam non posse quidem demonstrari quoad essentiam & perfectiones, nisi per effectum proportionatum; at posse quoad existentiam per effectum improporionatum; modo adfint condiciones suprâ requisitæ.

Obj. 2. Demonstratio fit ex necessariis. At creaturæ existentes non sunt necessariae. Ergo non potest ex illis demonstrari existentia Dei. R. Dist. maj. Demonstratio fit ex necessariis quoad existentiam, n. maj. Ex necessariis quoad connexionem, c. maj. Quamvis autem creaturæ non sint necessariae quoad existentiam, quia possent non existere; sunt nihilominus necessariae quoad connexionem cum causa prima & improducta, à qua essentialiter dependent in esse & in operari.

Obj. 3. Probationes existentia Dei, petita à creaturis existentibus, pendunt non solum ab earum connexionem necessaria cum Deo, sed etiam ab earum existentia contingenti, & in eam resolvuntur. Ergo non possunt esse demonstrativa. R. N. consequentiam. Nam sequitur tantum, quod probationes illæ non possint facere demonstrationem metaphysicam, sed solum physicam faciant; quia videlicet non possunt habere majorem evidentiam & certitudinem, quam habeat contingens existentia creaturarum, quæ non habet nisi evidentiam & certitudinem physicam.

RESPONSIO V.

Potest etiam existentia Dei demonstrari à simultaneo.

Prob. Nam potest demonstrari existentia Dei ratione aliqua, quæ non sit à priori, nec à posteriori, nempe ratione deducente ad impossibile.

ARTICULUS III.

Utrum re ipsa demonstretur Deum existere.

Responſionem affirmativam probabimus, afferendo aliquas demonstrationes existentia divinæ.

PRIMA DEMONSTRATIO,
petita ex notione entis à se.

PROPOSITIO I.

Ens à se est ens se solo sufficiens ad existendum.

Prob. Nam ens à se hic à nobis dicitur, non efficienter; evidenter enim repugnat aliquid esse causam efficientem sui ipsius; sed formaliter, quatenus habet ex proprio fundo plenissimam sufficientiam ad existendum; sicut ad existendum non indigeat influxu causæ productis, vel conservantis.

A 2 PRO.

PROPOSITIO II.

In idea entis à se, clarè relucet necessitas existendi.

Prob. Nam hoc ipso quòd in aliquo ente intelligimus plenissimam sufficientiam ad existendum, hoc ipso, inquam, clarè intelligimus illud, si non sit merum rationis figmentum, non posse non existere.

PROPOSITIO III.

Idea entis à se, est idea objecti realis, & non ficti.

Prob. Si idea entis à se non est idea objecti realis, certè vel quia existere & esse improductum implicat contradictionem, vel quia idea entis à se includit aliquod attributum, cui repugnat esse improductum: neutrum dici potest. Non primum. Nam ratio existentis ut sic non destruitur per rationem improducti; nec vicissim, ratio improducti per rationem existentis ut sic. Nec dic existentiam esse essentialiter terminum productionis: quamvis enim hoc sit verum de existentia contingenti; at est evidenter falsum de existentia ut sic.

Non secundum. Nam 1. Idea entis à se non includit, nisi perfectiones simpliciter simplices. At nulli perfectioni simpliciter simplici ut sic, repugnat esse improductum, ut patet in sapientia, iustitia, &c. 2. Id quod est primum in ente à se, est plenissima sufficientia ad existendum; & ita sufficientia illa est radix omnium aliorum attributorum entis à se, quod proinde nullum habere potest attributum, cui repugnet esse improductum. Attributo enim, fluenti à plenissima sufficientia ad existendum, non repugnat, sed è contra convenit esse improductum.

PROPOSITIO IV.

Necessitas existendi realis est, non ficta, in ente à se.

Prob. Omne attributum, clarè relucens in idea entis realis, reale est. Atqui idea entis à se est idea entis realis (exp. 3.) & necessitas existendi in ea clarè relucet (exp. 2.) Ergo necessitas existendi realis est in ente à se. Major non potest negari: alioquin idem ens esset simul reale & non reale, quod implicat.

PROPOSITIO V.

Existit ens à se.

Prob. Illud ens existit, quod habet realem necessitatem existendi, ut patet ex terminis. Atqui ens à se habet realem necessitatem existendi (exp. 4.) Ergo ens à se existit.

PROPOSITIO VI.

Existit Deus.

Prob. Existit ens à se (exp. 5.) Ens à se est Deus: nam nomine Dei intelligimus ens à se. Ergo existit Deus.

SECUNDA DEMONSTRATIO,
petita ex necessitate entis à se.

Nota 1. Valet à singularibus ad totam collectionem singularium, quoties collectio nihil addit singularibus, quo destruat prædicatum illis attributum. Sic valet: Et hic & iste & ille tacet. Ergo tota collectio tacet. Et hic & iste & ille caret oculis. Ergo tota collectio caret oculis. Tunc ergo tantum non valet à singularibus ad totam collectionem singularium, quando collectio addit illis aliquid, quo destruitur prædicatum, quod illis attribuitur. Sic non valet: Et hic & iste & ille non potest trahere mille libras. Ergo tota collectio non potest trahere mille libras.

Nota 2. Repugnat processus in infinitum in serie causarum. Nam si quis effectus penderet ab infinita serie causarum, esset simul possibilis & impossibilis. Esset possibilis, quia, ut supponitur, produceretur: esset impossibilis, quia non produceretur nisi pertransita infinita serie causarum. At implicat infinitam seriem causarum pertransiri, quia infinitum pertransiri non potest, sicut nec exhaustiri: ex infinito enim quantumcumque sumas, semper superest aliquid sumere. Ex his,

Nota 3. Omnis series causarum est finita. Unde in qualibet serie causarum datur aliquid primum, quod est causa cæterorum: ipsum verò non est effectus alicujus in illa serie. Alioquin idem prius existeret simpliciter, quam existeret; prius ageret, quam existeret simpliciter; prius alteri daret esse, quam illud haberet aliunde, & independenter ab illo altero: quia omnia evidentem implicant contradictionem. His præsuppositis, sit

PROPOSITIO VII.

Datur ens à se.

Prob. Si non datur ens se solo sufficiens ad existendum, nullum est ens, quod non indigeat alio ad existendum, ut patet ex terminis. Falsum conf. Ergo, &c. *Prob. min.* Si nullum est ens, quod non indigeat alio ad existendum, tota collectio indiget alio ad existendum (ex not. 1.) Falsum conf. Ergo, &c. *Prob. min.* Si tota collectio entium indiget alio ad existendum, debet (ex not. 2. & 3.) aliquid primum, à quo sit illa collectio, assignari. Atqui non potest. Nam illud primum vel erit extra totam collectionem entium, vel intra. Neutrum dici potest. Non primum. Evidenter enim repugnat dari aliquid ens extra totam collectionem entium. Non secundum. Nam, ut supponitur, nihil est intra totam collectionem entium, quod non indigeat alio ad existendum, & consequenter, quod non supponat aliud prius existens, à quo existentiam accipiat. Ergo evidenter falsum est, quod tota collectio entium indigeat alio ad existendum. Ergo in tota collectione entium datur ens, se solo sufficiens ad existendum, quod proinde à nullo alio est. Ergo datur ens à se. Ergo datur Deus.

TERTIA DEMONSTRATIO,
petita à motu & productione rerum.

Homo, qui nunc generatur, vel pendet ab infinita serie causarum generantium, vel à finita tantum. Non primum. Nam processus in infinitum tam repugnat in causis generantibus, quam in quibuslibet aliis causis, ut per se patet. Ergo secundum. Ergo in serie hominum generantium agnoscendus est primus, à quo fuit secundus; & secundus, à quo fuit tertius; & ita deinceps in finito numero ad hunc novissimum usque.

Jam verò primus ille homo vel fuit à se, vel ab alio generante, vel denique ab alio creante. Non primum. Nam fuit ejusdem nature cum eo, qui nunc generatur. Non secundum. Alioquin non fuit primus homo. Quod est contra suppositionem. Ergo tertium. Illud autem ens, à quo primus homo creatus est, vel est à se, vel ab alio. Secundum frustra diceretur: nam cum non posset dependere, nisi à finita serie causarum, necessario sistendum esset in aliquo primo, à quo cætera essent, ipsum verò à nullo. Alioquin procedendum esset in infinitum. Quod apertè nugatorium est. Ergo illud ens, à quo primus homo creatus est, est ens à se. Ergo datur ens à se. Ergo datur Deus.

QUARTA DEMONSTRATIO,
petita ex necessario & contingenti.

PROPOSITIO I.

Datur ens absolute necessarium.

Prob. Si non datur ens absolute necessarium, nullum est ens, quod non sit contingens, ut per se patet. Falsum conf.

conf. Ergo, &c. *Prob. min.* Si nullum est ens, quod non sit contingens, nullum est, quod ex se potius exigit esse, quam non esse, ut clarum est ex terminis. Falsum conf. Ergo, &c. *Prob. min.* Si nullum est ens, quod ex se potius exigit esse, quam non esse, tota collectio entium ex se non potius exigit esse, quam non esse (ex 1. not. 2. Dem.) Falsum conf. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam quod ex se non potius exigit esse, quam non esse, ut sit, debet ab aliquo determinari ad esse potius, quam non esse. At si tota collectio entium ex se non potius exigit esse, quam non esse, nihil habet à quo determinetur ad esse potius, quam non esse. Nam non datur ens extra totam collectionem entium, à quo determinari possit hæc collectio ad esse potius, quam non esse; cum extra totam collectionem entium nihil sit.

Nec dic intra ipsam collectionem assignari posse aliquid, à quo determinetur ad esse potius, quam non esse. Nam illud, quod assignabitur, vel est ex se determinatum ad esse potius, quam non esse, vel non est ex se determinatum. Primum dici non potest: cum tota collectio entium supponatur, ex se non potius exigit esse, quam non esse. Ergo secundum. Ergo non potest se determinare, sed è contra, ut sit, exigit ab alio determinari ad esse potius, quam non esse. Ergo si tota collectio entium ex se non potius exigit esse, quam non esse, est simul, & non est. Est, ut supponitur. Non est; quia non habet, à quo determinetur ad esse potius, quam non esse. Ergo manifestè falsum est, totam collectionem entium esse contingentem. Ergo manifestè falsum est, quod nullum sit ens absolute necessarium. Ergo datur aliquod ens absolute necessarium.

PROPOSITIO II.

Ens absolute necessarium est Deus.

Prob. Ens absolute necessarium est illud, cui absolute repugnat non existere. Ens, cui absolute repugnat non existere, est ens improductum. Ens improductum est ens se solo sufficiens ad existendum. Ens se solo sufficiens ad existendum est Deus. Ergo à primo ad ultimum, ens absolute necessarium est Deus.

PROPOSITIO III.

Datur Deus.

Prob. Nam datur ens absolute necessarium (ex 1. p.) Sed ens absolute necessarium est Deus (ex 2. p.) Ergo datur Deus.

QUINTA DEMONSTRATIO,
petita ex idea entis, quo nihil melius cogitari potest.

PROPOSITIO I.

Ens quo nihil melius cogitari potest, est Deus.

Prob. Deus enim, & ens quo nihil melius cogitari potest, convertuntur: nam nomine Dei sapientes omnes intelligunt Ens supremum, summè necessarium, plenissime sibi sufficiens ad existendum, nullius rei indigum, immobile, independens; uno verbo, ens, quo nihil melius aut majus esse vel cogitari potest. Unde à Tertulliano appellatur summum magnum. Hanc autem Dei ideam omnibus hominibus quasi ingeneratam esse, eleganter docet S. Augustinus libr. 1. de doctr. Christ. c. 7. Cum ille unus, inquit, cogitatur Deorum Deus, ab his etiam qui alios & suspicantur, & vocant & colunt Deos, sive in celo sive in terra, ita cogitatur, ut aliquid quo nihil melius sit atque sublimius, illa cogitatio concitè attingere. Omnes pro excellentia Dei certatim dimicant, ne quisquam inveniri potest, qui hoc Deum credat esse, quo melius aliquid est. Itaque hoc omnes Deum consentiunt esse, quod ceteris rebus omnibus anteponunt.

Simonnet Theol. Tom. I.

PROPOSITIO II.

Ens quo nihil melius cogitari potest, est ens illimitatum in omni genere perfectionis.

Patet ex terminis. Nam omni ente limitato potest cogitari aliquod melius, quod scilicet plures, aut majores habeat perfectiones, vel eandem in eminentiori gradu. Et verò soli illimitato ex omni parte, nihil addi potest; cum è contra omni limitato addi possit aliquid. Unde in entibus limitatis repugnat optimum, quia quantumcumque sit excellentia entis limitati, hoc ipso quòd limitata est, ab alia præstantiore superari potest.

PROPOSITIO III.

Ens illimitatum in omni genere perfectionis, non est figmentum rationis.

Prob. Nam si esset figmentum rationis, certè quia involveret esse & non esse. Atqui hoc est falsum. Ergo, &c. *Prob. min.* Si involveret esset & non esse, vel quia includeret aliquam perfectionem chimericam, vel quia includeret aliquas perfectiones impossibiles, quarum una scilicet esset negatio alterius; vel quia includeret perfectiones, quibus repugnaret ratio infinitudinis. Nihil horum dici potest. Non primum. Quia intelligitur tantum illimitatum in omni genere perfectionis possibile. Non secundum. Quia formaliter non includit, nisi perfectiones simpliciter simplices. Perfectio autem simpliciter simplex non est ex se impossibilis cum alia, quia una ex se non negat, aut excludit aliam ab eodem subjecto, ut patet in justitia, misericordia, sapientia, &c. Non tertium. Nam ratio perfectionis simpliciter simplicis, ut ratio sapientiae, justitiae, &c. non est opposita rationi infinitudinis. Ergo ens illimitatum in omni genere perfectionis non est figmentum rationis.

PROPOSITIO IV.

Ens illimitatum in omni genere perfectionis, est ens summè necessarium.

Prob. Illud ens est summè necessarium, quod est reale, & verè possibile, & includit in suo conceptu plenissimam sufficientiam ad existendum. Tale enim ens tantam habet necessitatem existendi, quanta esse potest. Atqui ens illimitatum in omni genere perfectionis, est reale, & verè possibile (ex p. 3.) & includit in suo conceptu plenissimam sufficientiam ad existendum (ex ead.) Ergo est ens summè necessarium.

PROPOSITIO V.

Ens quo nihil melius cogitari potest, summam habet necessitatem existendi.

Prob. Ens illimitatum in omni genere perfectionis, habet summam necessitatem existendi (ex p. 4.) Sed ens, quo nihil melius cogitari potest, est ens illimitatum in omni genere perfectionis (ex p. 2.) Ergo ens, quo nihil melius cogitari potest, habet summam necessitatem existendi.

PROPOSITIO VI.

Existit ens, quo nihil melius cogitari potest.

Prob. Nam illud existit, & absoluta necessitate existit, quod habet summam necessitatem existendi. Atqui ens, quo nihil melius cogitari potest, habet summam necessitatem existendi (ex p. 5.) Ergo ens, quo nihil melius cogitari potest, existit, & quidem absoluta, & tanta, quanta esse potest ad existendum necessitate.

A 3

Pro-

PROPOSITIO VII.

Summa necessitate existit Deus.

Prob. Ens quo nihil melius cogitari potest, summa necessitate existit (ex p. 6.) Sed Deus est ens quo nihil melius cogitari potest (ex p. 1.) Ergo Deus summa necessitate existit.

SEXTA DEMONSTRATIO.
petita ex hoc mundo visibili.

PROPOSITIO I.

Hic mundus visibilis non est à se.

Prob. Nam si esset à se, vel esset à se quoad omnes partes, ex quibus constar, vel quoad aliquas tantum. Neutrum dici potest. Non primum, ut experientia quotidiana demonstrat. Non etiam secundum, ut facile ostenditur: idem iudicium esto de omnibus aliis mundi partibus, ac de sole, qui inter omnia entia purè materialia principem locum facile obtinet. Atqui sol non est à se. Ergo nulla alia huius mundi visibilis partes sunt à se. Major negari non potest. Nam si inter huius mundi partes, quas esse à se suspicari possemus, nobilissima non est à se, infanum esset id de alijs asserere.

Prob. ergo min. Si sol esset à se, non esset ratio, cur potius existeret in hac mole, quam in alia maiore, in hoc loco potius quam in alio, puta infra Saturnum potius quam supra, in motu potius quam in quiete, vel in hoc motu potius quam in alio velociore. Gratis enim diceretur ex eo, quod esset à se, habere necessitatem existendi in hac mole potius quam in alia, in hoc loco, aut in hoc motu potius quam in alio. Nam manifestum est, aëritatem ex se non magis exigere hanc molem, quam aliam maiorem, hunc locum, quam alium superiorem, hunc motum, quam alium velociorem. Absurdum cons. Nam aliqui sol nunc existeret in hac mole, in hoc loco, in hoc motu, & simul non existeret. Existeret, ut revera certò & evidenter novimus existere. Non existeret, quia ex se non magis exigeret existere, quam non existere; nec aliunde haberet, unde determinaretur ad existendum. Ergo manifestum est, solem non esse à se, sed habere causam, à qua productus est, & productus conservatur in hac mole potius quam in alia maiore vel minore, in hoc loco potius quam in alio superiore vel inferiore, in hoc motu potius quam in alio velociore vel tardiore.

PROPOSITIO II.

Hic mundus visibilis non est à casu.

Prob. Quia si hic mundus visibilis est à casu, certè quia ex fortuito partium materiæ concursu coaluit. At hoc nec dici, nec cogitari potest ab homine sanæ mentis. Et verò si quis est, qui hoc dicat, vel cogitet, tam, imò multò magis insanit, quam qui diceret, aut cogitaret, Illiadem Homeri ex characterum, aut exquisitam picturam ex colorum fortuito concursu coalescere potuisse, & coaluisse; ut facile intelligit, quisquis attendit ad huius mundi partium multitudinem, varietatem, pulchritudinem, dispositionem, proprietates, harmoniam, &c.

Praeterea, Materia illa, ex qua constar hic mundus visibilis, vel est creata, vel increata. Non potest dici increata; alioqui habet ex se summam necessitatem existendi: quod est evidenter falsum. Nam si habet, vel præcisè quia est ens, vel quia est tale ens, hoc est materia. Non primum. Nam ratio entis ut sic non importat necessitatem existendi: alioqui nihil existeret sine summa necessitate existendi. Non secundum. Nam evidenter repugnat perfectionem maximam, qualis est summa necessitas existendi, radicari in esse imperfectissimo, quale est esse materiæ, & ab eo fluere. Ergo materiæ fuisse creatam fateri necesse est. Ergo perpetam & insanè recurritur ad casum, & fortuitum concursum partium materiæ. Nam

ab eo, à quo materia creari potuit, potuerunt à fortiori partes ejus combinari & conjugari, quomodo illas combinatas & conjugatas videmus. Ad creationem enim materiæ longè excellentior potentia, quam ad partium ejus combinationem & conjugationem, etiam qualem videmus in hoc mundo aspectabili, requiritur.

PROPOSITIO III.

Hic mundus visibilis est ab opifice quadam, eoque summa quadam sapientia, potentia, bonitate prædita.

Prob. 1. pars. Nam hic mundus visibilis vel est à se, vel à casu, vel ab opifice quadam. Non est à se (ex p. 1.) non est à casu (ex p. 2.) Ergo est ab opifice. 2. *pars.* Nempe quod hic opifex præditus sit summa quadam sapientia, potentia, bonitate, &c. patet ex tanta illa universi partium multitudine, varietate, dispositione, ordine, tanta in procurando hominis bono consonantia & concordia. Ergo datur Deus. Nam nomine Dei, sapientissimum illum, potentissimum, optimum, munificentissimum opificem intelligimus. Hanc totam demonstrationem paucis verbis eleganter concludit S. Augustinus, lib. 11. de civ. Dei c. 4. *Mundus ordinatissima sua mutabilitate & mobilitate, & visibilium omnium pulcherrima specie quodammodo tacitus, & factum se esse, & non nisi à Deo ineffabiliter atque invisibiliter magno, & ineffabiliter atque invisibiliter pulchro, fieri se potuisse proclamat.*

ARTICULUS IV.

Utrum unus tantum sit Deus.

Nota. Contra unitatem Dei senserunt varii, & 1. quidam Gentiles, qui multos deos coluerunt. 2. Cerdoniani à Cerdone sic nominati, qui duo propugnabant principia sibi adversantia, nempe Deum Legis ac Prophetarum, quem justum & severum, non bonum, esse aiebant; & Deum patrem Christi, quem dicebant bonum & benignum esse. 3. Marcionistæ, sic dicti à Marcione, qui duos asserbant deos, unum bonum, & alterum malum, cui huius mundi visibilis productionem attribuebant. 4. Appellitæ, quorum princeps fuit Appelles, Marcionis discipulus, quocum duos asseruit deos: unum bonum, & alterum malum; sic tamen, ut vellet, teste Augustino, unum esse principium alterius, nempe bonum mali, & ita contra magistrum suum negaret duo principia. 5. Valentiniani, ita appellati à Valentino, qui triginta deos, sive æonas commentus est. 6. Manichæi, sic dicti à Manete, qui huius Sectæ præcipuus author fuit. Asseriebant duo principia inter se diversa atque adversa, eademque æterna & coætæna, quorum unum bonorum, alterum malorum Deus esset; dualque propugnabant naturas & substantias, boni scilicet & mali. 7. Trichæistæ, qui tres personas divinas non solum personalitate, sed etiam natura & substantia dividebant, & ita tres contendebant esse Deos. Contra hos omnes sit

RESPONSIO.

Unicus est Deus.

Prob. 1. ex Scriptura. Deut. c. 4. dicitur: *Dominus ipse est Deus, & non est alius præter eum.* Plal. 85. *Tu es Deus solus.* 1. Cor. c. 8. *Scimus... quod nullus est Deus, nisi unus.* 2. Authoritate omnium virorum, doctrina & pietate illustrium, quotquot existerunt ab instituta Religione Christiana, imò universi penè orbis, quem Apostoli, & eorum Successores à vana plurium deorum Religione ad unius Dei cultum traduxerunt. 3. Iisdem omnino argumentis & motivis, quibus evidenter demonstratur veritas Religionis Christianæ, cujus præcipuum dogma est, quod unicus sit Deus. Quæ argumenta & motiva suo loco afferentur & exponentur.

4. Hac ratione. Deus est summum magnum. Sed unicum est summum magnum. Ergo unicus est Deus. *Prob. min.* Si multiplex esset summum magnum, summum magnum haberet æquale. Atqui evidenter repugnat summum magnum